

**Lateinische Lektüreübung II (Faller)**  
**Wintersemester 2023/24**  
**Text 5**

Phoebe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos;  
huc age cum cithara carminibusque veni.  
nunc te vocales impellere pollice chordas,  
nunc precor ad laudis flectere verba modos<sup>1</sup>.  
5 ipse triumphali devinctus tempora lauro,  
dum cumulant aras, ad tua sacra veni.  
sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem  
sepositam, longas nunc bene pecte comas.  
[...]------  
tu procul eventura vides, tibi deditus augur  
10 scit bene quid fati provida cantet avis,  
tuque regis sortes, per te praesentit aruspex,  
lubrica signavit cum deus exta notis,  
te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est  
abdita quae senis<sup>2</sup> fata canit pedibus<sup>2</sup>.  
15 Phoebe, sacras Messallinum<sup>3</sup> sine tangere chartas  
vatis, et ipse precor quid canat illa doce.  
-----  
haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem  
dicitur et raptos sustinuisse Lares.  
nec fore credebat Romam, cum maestus ab alto  
20 Ilion ardentes respiceretque deos:  
Romulus aeternae nondum firmaverat urbis  
moenia, consorti non habitanda Remo,  
sed tunc pascebant herbosa Palatia<sup>4</sup> vaccae  
et stabant humiles in Iovis arce casae.  
[...]------  
25 at qua Velabri<sup>5</sup> regio patet, ire solebat  
exiguus pulsa per vada linter<sup>6</sup> aqua.  
illac saepe gregis diti<sup>7</sup> placitura magistro  
ad iuvenem festa est vecta puella die. [...]  
impiger Aenea, volitantis frater Amoris,  
30 Troica qui profugis sacra vehis ratibus,  
iam tibi Laurentes<sup>8</sup> assignat Iuppiter agros,  
iam vocat errantes hospita terra Lares.

**Hilfen:**

<sup>1</sup>*modos*: von *modus*, hier „Weise“ in der Bedeutung „Melodie“.

<sup>2</sup>*senis...pedibus*: = „in Hexametern“.

<sup>3</sup>*Messallinum*: Messallinus war ein Sohn des Messalla und der neue *sacerdos* aus Z. 1.

<sup>4</sup>*Palatia*: Plural Neutrum, hier der „Palatin“.

<sup>5</sup>*Velabri*: = das „Velabrum“ war eine Ebene zwischen dem Tiber und dem Palatin.

<sup>6</sup>*linter*: von *linter*, *lintris*, f. oder m., der „Kahn“.

<sup>7</sup>*diti*: Dat. Sg. von *dis*, *ditis* = „reich“.

<sup>8</sup>*Laurentes*: die *agri Laurentes*, die „laurentischen Felder“, waren ein Gebiet links des Tiber.